



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2187. Papst Gregor giebt dem Erzbischof von Magdeburg auf, wegen der
zwischen dem Convente des Domkapitels zu Halberstadt und dem Kloster
Jerichow streitigen Bischofswahl, eine vom Papste benannte ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

2187. Paps Gregor giebt dem Erzbischof von Magdeburg auf, wegen der zwischen dem Convente des Domcapitels zu Halberstadt und dem Kloster Jerichow streitigen Bischofswahl, eine vom Papsle benannte Person zum Bisthume Halberstadt zu erheben, ohne Zeitbestimmung.

Gregorius Episcopus f. f. dei venerabili in cristo fratri Magdeburgenfi archiepiscopo etc. — Sane in nostra presentia H. dilectus in cristo filius halberstatensis ecclesie canonicus, eiusdem ecclesie procurator, sollicitudine et cum iustancia postulauit, quatenus electionem dilecti filii L., quem eadem ecclesia in Episcopum elegerit et pastorem, auctoritate apostolica confirmare dignaremur. Ad hoc dilectus in cristo filius G., sancte Marie Jericho procurator, proposuit ex aduerso, quod quia secundum juris regulam plus operatur vnus contemptus quam multorum contradictio, dilecti L. electio non valebit hac ratione, quia ecclesia in Jericho pari iure electionis et simili libertate eligendi a prima sui fundacione semper est gauisa, prout se papalibus et imperialibus priuilegijs asseruit probaturum, et cum ecclesia in Jericho in electione Ludolfi exclusa fuerit et condempnata, electionem ipsam pronounciari petebat irritam et jnanem. Asserebat Preterea, quod sepredictus Ludolfus ipsius ecclesie membrum non existens eligi non debebat, sed potius postulari. Ex hiis igitur et aliis causis electionem halberstatensis Ecclesie de L. cassari et in Jericho factam de B. ipsius ecclesie preposito tanquam canonicam petebat sollicite confirmari. Nos igitur prouida deliberatione pensantes, quod ecclesia halberstatensis propter allegatas causas eligendi et modo sibi quolibet prouidendi se priuauerat ista vice, considerantes etiam quod ecclesia in Jericho, que non principaliter mater immo ecclesie halberstatensi secundaria iudicatur, licet esse possit quod haberet quantum ad electionem cum matrice ecclesia eadem modo quolibet jus commune, non tamen possit aliquo iure habere sine matrice ecclesia eidem modo quolibet prouidere, de maturo fratrum nostrorum consilio vtramque electionem vtriusque ecclesie sentenciando iudicamus et decreuimus non tenere, ita tamen ut salua sint vtriusque ecclesie sua iura. Et quia ex fluxu temporis ad nos eiusdem ecclesie uacantis cognoscitur prouiso deuoluta, eidem in persona dilecti filii G. Maydburgensis ecclesie decani auctoritate apostolica prouidemus, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, ut ipsum, cum consecrationis et confirmationis munere ad propria reuertentem, halberstatensi ecclesie representes in corporalem possessionem juris tam ecclesiastice potentie quam mundane inducas eundem et tuearis inductum ita, quod deuotio tua exinde debeat commendari.

Nach einem Formelbuche der k. k. Bibliothek zu Wien fol. 14.